B. N. C.
FIRENZE
1037
31

1037. 31

XXVII
MISCELLANEE
B. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1037
31

XXXVII
TEIS.

ILLUSTRISSIMO ECCLESIÆ PRINCIPI D. D.

ARMANDO JOANNI DE ROTONDI DE BISCARAS

EPISCOPO

ET DOMINO

BITTERENSI,

ABBATI BEATÆ MARIÆ CEDRACENSIS,

REGI A CONSILIIS, &c.

HISTORIA CARMELITANA THEOLOGICE PROPUGNATA

Quæſtio Theologica.

Quis Prophetas facis ſucceſſores poſt ſe ? Eccleſ. 48.

1037.31

I.

Quis Prophetas facit ſucceſſores poſt ſe ? Eccleſiaſtici 48.

ELIAS Thesbites de habitatoribus Galaad, de lineâ Sacerdotali Aaron, natus eſt annis octo ante mortem Salomonis. Primò ſecundum aliquos Hebræos dictus eſt Jaberſcyth, verùm ex acclamatione populi poſt interfectos Prophetas Baâl dicentis, Dominus ipſe eſt Deus, vocatus eſt Elias. Iſidorus vult ſtatim a nativitate ſuâ Eliam dictum. Sobac, aut Sabaccha fuit Pater ejus, cui dum adhuc Elias in utero matris geſtaretur, apparuerunt homines niveum habitum ferentes, ordinem Carmeliticum præſignantes, qui puſionem ſalutabant, deindè flammis quaſi pannis involvebant, ac ipſum loco lactis, igne paſcebant. Arridet mihi opinio valdè probabilis, aſſerens Eliam in utero matris fuiſſe ſanctificatum: decebat enim ultimi adventus præcurſorem iiſdem titulis ac honoribus inſigniri, quibus præcurſor primi, donatus eſt. De pueritiâ Eliæ nihil habet Scriptura, aſſerunt tamen authores graviſſimi, parentum, & proprio ſui ipſius voto Nazaræum ſe exhibuiſſe, & fuiſſe primum in veteri lege, qui deſerta incoluit, & monaſticam in montibus vitam egit. Septem circiter annis commoratus eſt in monte S. Eliæ, juxta urbem Sydon, ubi Anachoreticæ vitæ dedit initium; deindè propè Hieruſalem, poſtmodum in Damaſceno, deinceps iterum in Judæa, poſtremò in Carmelo, ubi ordinis Carmelitarum fundamenta jecit. In rebus divinis præceptorem habuit Ahiam Silonitem in Collegio Galaad, ubi florebat Samuëlis inſtitutum: deinde ad compeſcendam impietatem Achab Regis Iſraël, qui Jezabeli innupſerat, evocatur a Deo, & fruſtra monitum Regem miraculis coërcet: & pro tuendâ fide zelo accenſus, metuque mortis intrepidus, prælia Domini contra tyrannidem præliatur.

II.

OMNIPOTENTIÆ Dei Vicarius, in populos ſiccitatem & famem inducit: Dei juſſu ad torrentem Carith ſecedens, corvo paſcitur: eò loci ductis ab Angelis cuſtodibus diſcipulis inviſitur. Siccato

cato torrente Sareptam contendit: viduæ filium ſuſcitat, quem ex devotione matris ſibi traditum erudit. Is fuit Jonas, qui deinceps in Prophetam evaſit, primus tempore Elianæ religionis alumnus, ſed non præcipuus: nam poſt interfectos Prophetas Baal: poſt miram immaculatæ Conceptionis, cæterorumque B. V. myſteriorum in nubeculâ parvâ revelationem: poſt fugam: poſt ſubminiſtratum ab Angelo cibum: poſt ſuavem Dei viſionem quâ potitus eſt in monte Horeb: poſt ſtabilitam in Dei matrem ſpecialem devotionem; ſancto dictante & mandante Spiritu, Eliſæum filium Saphat de Abelmeula unxit Prophetam pro ſe, & deſignavit in Generali Prælatione totius ordinis ſucceſſorem. Multi jam erant Conventus in Galgalis, Bethel, Jericho, Carmelo, &c. in quibus Elias Diſcipulos ſuos ad omnem pietatem inſtituerat, quos Elias viſitavit, ut ſuos alumnos in verâ fide, & aſpero vitæ eremiticæ inſtituto confirmaret, ultimaque ſalutis & perfectionis monita eis daret, & Eliſæum promulgaret ſucceſſorem. Plurimi ex illis Spiritu prophetico noverant parentem ſuum, in paradiſum ſubvehendum: unde præter voluntatem Eliæ (qui raptum ſuum humiliter celare cupiebat) ducti deſiderio videndi finem, longiuſcule ſteterunt a Jordane, & duos ſui ordinis Magiſtros abire paſſi ſunt. Cumque Elias & Eliſæus pergerent, & incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in Cœlum, Eliſæus autem non vidit eum amplius: ſciſſiſque veſtibus orbitatem ſuam luxit, duplicis fundatoris Spiritus ſucceſſor & hæres.

III.

MERITO damnatur a Patribus Origenes, qui per terreſtrem Paradiſum, tertium Cœlum vult intelligi, quò raptus eſt Apoſtolus Paulus, & quæcumque de conſitis illic arboribus, de fluvijs rigantibus aſſerit Scriptura, totum id in allegoriam malè vertit. Eſt enim ſententia graviſſimorum authorum, accedens proximè ad fidem, Enoch & Eliam noſtrum tranſlatos eſſe in Paradiſum, undè expulſus fuit Adam. Refellendi ſunt etiam qui aſſerunt poſt Adæ peccatum Paradiſum terreſtrem paulatim defeciſſe, & demum aquarum diluvij inundatione omnino ſubmerſum, & ſublatum: hujus opinionis princeps inter Catholicos fuit, Auguſtinus Steuchus Eugubinus, qui vixit Anno 1540.

Verum

Verum ſtat traditio Eccleſiæ , Henoch , & Eliam adhuc vivos ibi habitare , & uſque ad tempora Antichriſti reſervari , cum ad confirmandam veritatem Evangelicam, pro ſalute electorum mittentur. Intereà vitam agit Elias in Paradiſo terreſtri, non quidem adeo fælicem ac Sancti , quando peracto operis die denarium accepturi ſunt , vel adeo infælicem quemadmodum homines qui nondum ex hac vitâ migrarunt ; de quâ tamen ille non morte , ſed tranſlatione migravit. Jam itaque aliquid melius habet quam in hâc vitâ poſſet : quamvis nondum habeat quod ex hâc vitâ rectè geſtâ in fine habiturus eſt. Ita cum D. Auguſtino communiter Theologi : quamvis Procopius Gazæus , Auguſtinus Eugubinus , Catharinus , Salmeronius , & Barradas , Eliam habituali , & perenni viſione Dei potiri aſſeveraverint , quam ipſi per modum tranſeuntis , quandòque concedi , cenſeo : ſicut & dotes aliquas glorioſorum corporum dotibus perſimiles , licet non omnino eaſdem : immortalitas enim eſt eſſentialis corpori glorioſo , & certum eſt de fide , Eliæ corpus , Antichriſti crudelitate adinventis atrociſſimis ſupplicijs vexandum reſervari.

I V.

QUAMPLURIMI Doctores aſſerunt , multoties Eliam cum Chriſto fuiſſe converſatum , non ſolum in monte Thabor dum transfiguraretur Dominus , ſed etiam in Paradiſo Terreſtri. Fluentibus enim quadraginta diebus poſt reſurrectionem , illud temporis quod a reviſendis inſtruendiſque diſcipulis reliquum erat , impendit Chriſtus Eliæ , atque Henoch , in Paradiſo præſentiâ ſuâ recreandis , inſtruendiſque de omnibus quæ olim ipſis adverſus Antichriſtum uſui eſſe poſſent. Et quia præceptum Baptiſmi obligavit omnes homines , qui eo tempore vivebant , quo Chriſtus legem hanc tulit, quamtumvis eſſent juſti & Sancti : ſicut obligavit Apoſtolos & beatam Virginem , ità obligavit Eliam & Henoch : Unde mihi certum videtur , Patriarcham noſtrum , vel ab ipſo Chriſto , vel ab Angelo , vel ab Henoch fuiſſe baptiſatum , cui etiam viciſſim gratiam Baptiſmatis rependit. Nec indè ſequitur cæteris omnibus Eccleſiæ legibus illos fuiſſe obnoxios. Quod attinet ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum , veriſimile eſt non negari amico Salvatoris, pro ipſius gloriâ fortiter quondam dimicaturo,

Panem illum Cæleſtem, qui plerumque indignis conceditur: quin-imò quidam opinati ſunt Eliam, vel ab ipſo Chriſto, vel ab Angelis, in Sacerdotem fuiſſe conſecratum, nec res eſt ſine exemplo. Lubenter aſſentior opinioni Theologorum illorum, qui aſſerunt Eliam in ſtatu in quo nunc eſt, mereri: habet enim omnes conditiones ad merendum requiſitas. Atque hinc eſt, quod infinitis propemodum meritis ad excelſum evectus eſt faſtigium Sanctitatis. Unde meritò tum in novâ, tum in antiquâ lege, a fidelibus, Sacellis, & Eccleſijs ipſi conſecratis, orationibus, & officijs ad ipſius honorem concinnatis, ipſius patrocinium ſummoperè fuit concupitum: nec defuit Propheta Sanctus interceſſionibus,& præſentiâ plerumquè ad ſe confugientibus opitulari. Primus ipſum invocavit Eliſæus, ut pallio Eliæ quod ceciderat ei, Jordanis aquas divideret.

V.

DEINDE ex ſacris antiquæ legis Prophetis, quamplurimi ipſum imitari in eodem Religioſo & Monaſtico vivendi inſtituto, ipſum colere, ipſum invocare ſtuduerunt. Inter quos numerare poſſumus Michæam filium Jemla, Abdiam qui fuit ex tribus Ochoſiæ quinquagenarijs unus, Iſaiam ſocerum Manaſſis Regis Juda, Jeremiam de tribu Levi Sacerdotem filium Helciæ, Ezechielem filium Buzi Sacerdotem, quem quidam falſò exiſtimarunt eundem fuiſſe ac Pitagoram: licet valdè ſit probabile, Pitagoram Philoſophum etiam fuiſſe Carmelitam: erat enim natione Judæus, diu commoratus eſt in monte Carmelo inter Religioſos Carmelitas, & ab illis edoctus eſt; ſicque diſcipulos ſuos inſtituit, ut victu, converſatione, & veſtitu, Eliæ diſcipulos omnino referrent. Cum ijs cenſendus eſt etiam Daniel Propheta de Regio Judæorum ſanguine. Sicque novem ſæculorum decurſu per Rechabitas, Eſſenos, Aſſidæos, Nazaræos perpetuos, Eliana Religio tranſijt ad præcurſorem Chriſti Domini Joannem Baptiſtam. Florebant tunc temporis in Galliâ Religioſi nominatiſſimi, Druidæ dicti, quorum ſi vivendi genus, & obſervantias regulares ſeriò diſcuſſeris, reperies veros fuiſſe Carmelitas: præcipuam ſedem ſuam habuere Carnuti. Intereà vigebat in Baptiſtæ Diſcipulis Spiritus Eliæ; & primis Eccleſiæ ſæculis, ante Sanctorum Antonij, & Baſilij inſtitutionem, omnes Monachi

Chriſtiani,

Chriſtiani, non ſolum imitatione (hoc enim diffitetur nemo) ſed etiam hæreditariâ ſucceſſione, ab Eſſenis immediatè ac directè, ipſiſque mediantibus a filijs Prophetaram, & ab Eliâ ipſorum Patriarchâ proceſſerunt, veri alumni Religionis Carmelitanæ, tunc abſque interruptione, ac diviſione perſeverantis, in ejus domibus & bonis. Carmelitæ enim qui fuerant Apoſtolorum prædicatione converſi ad fidem Chriſti; partim eorum coadjutores effecti, ac per totum orbem cum eis diſperſi, fideliter Evangelium prædicaverunt: partim ſolitudini ſuæ profeſſionis aſſueti deſerta quæſierunt. Primi ſimul cum fide religionis inſtitutum, & obſervantias edocentes, ubique terrarum vitæ Religioſæ ſemina reliquerunt.

V I.

ALII vero in ſolitudinibus Palæſtinæ, & Ægypti, præſertim in Thebaide, plurima prorſus innumerabilium Monachorum Collegia fundaverunt, in quibus Carmelitana Religio perſeveravit, & ad hæc uſque tempora pervenit: quamvis poſtmodum inſignes viri ſurrexerint, qui ſervatis principalioribus obſervantiis Carmelitanæ Religionis, maxime tribus votis (cum quibus etiam in antiquâ lege, ſed non adeò perfectè, ſtetit iſta noſtra Religio) adjunctiſque aliis, novas Religiones tam in Oriente, quam in Occidente fundaverunt. Dicti ſunt Patres noſtri in illâ veluti ſecundâ Religionis ætate, Therapeutæ, Eremitæ, Anachoretæ, Solitarij, Aſcetæ, Philoſophi, ac Cœnobitæ. Et ſicut in monte Carmeli ſingulari Dei providentiâ, etiam tempore Judaïcarum captivitatum, cum totus penè populus in Aſſyrios fuit tranſlatus, Carmelitæ natali ſolo Religionis potiti ſunt: ita etiam primis Eccleſiæ ſæculis, uſque ad annum 1290, quò ſcilicet a Sarracenis è Carmelo expulſi ſunt, quem tandem noſtri Diſcalceati anno 1631 recuperarunt. Interdum floruerunt Carmelitæ quamplurimi, ut Ioan. 44. Patriarcha Hieroſolymitanus, Præſul ſanæ & Orthodoxæ fidei, author libri de inſtitutione Monachorum, qui habetur in bibliothecâ Patrum Tom. 9. quidquid in contrarium dicant antiquitatis noſtræ æmuli, qui etiam Monachiſmum Cyrilli, fabellam malè arbitrantur: fuit enim verè Carmelita, indè aſſumptus in Patriarcham Alexandrinum, & in Epheſino Concilio Cæleſtini primi Legatus. S. Anaſtaſius Martyr. Petrus Eremita. S. Antonius

tonius Abbas. S. Hilarion. S. Baſilius. S. Pachomius. S. Simplicianus Magiſter S. Auguſtini. S. Romanus Monachus Director S. Benedicti. V. F. Gerardus Inſtitutor Hoſpitalariorum S. Ioannis Baptiſtæ. S. Hieronymus Eccleſiæ Doctor. S. Honoratus Fundator Monaſterij Lyrinenſis in Gallo-Provinciâ. S. Caſſianus Fundator Monaſterij Maſſilienſis S. Victoris. S. Palladius Scotorum Apoſtolus. Gerardus itidem Hungarorum Apoſtolus. Cyrillus Conſtantinopolitanus, & alij penè innumeri. Sed omittere non poſſum Simonem Stochium, cui B. V. ſacrum Scapulare conceſſit: cujus devotæ geſtationi, deindè Privilegium Bullæ Sabathinæ voluit annexum, ut devotum ſibi ordinem, ſe ſpecialiter tueri demonſtraret, & per innumeros Carmelitanæ, Propheticæ, & Elianæ vitæ Profeſſores, ad finem uſque mundi duraturos, oſtenderet Patriarcham noſtrum Eliam eum eſſe, *Qui Prophetas facit Succeſſores poſt ſe.*

HAS THESES

(*Deo Dante, & auſpice Deiparâ ſingulari Ordinis Patronâ*)

TUEBITUR

in Comitijs Provincialibus Provinciæ Toloſæ Biteris congregatis;
Die menſis Aprilis, Anni 1682.
hora ſecunda pomeridiana apud Carmelitas,

R. P. PHILIPPVS TEISSEIRE,

Carmelita, Sacræ Theologiæ Doctor &c.

Sunt autem defenſæ hæ Theſes per triduum.

2
1037.31

99 956965

1037 31

ALLEGRI LABORAT. RESTAURO LIBRI PARMA